



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

3. S. Autbertus visu recepto, cæcitatem precibus impetrauit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

nauseam patitur. Nec in Venerem feretur. quem corporis dolores non sinunt cogitare de voluptate. Quia autem homo conditus est ad beatitudinem consequendam, impeditus ne corpus percipere possit delectationem, animi delectationem quaerit, & inuenit, multarum enim virtutum occasio est inualetudo.

## II.

Eugipp. 2.  
pud Sur.  
& Ianuarij.

Eugippus Abbas refert, S. Seuerinum multos varijs languoribus ac ærumnis affectos liberasse; quod cum audiret Bonus eius Monachus, oculorum imbecillitate vehementer vexatus, eum adibat, ut orationibus illius & ipse medelam posceret. Dicebat igitur: *Aduentitios & externos gratia salutaris sentire praesidia, sibi verò nullam opem aliquatenus exhiberi.* Cui Seuerinus respondit: *Fili mi, non tibi expedit ab hac oculorum molestia liberari, & aciem corporei luminis habere perspicuam; quin potius ora, ut obtutus vegetetur interior.* Quid enim? an non magis grata & iucunda lux illa interna esse debet, qua per amplissima caeli spatia mente vagaris, quàm corporeum hoc lumen, quod tibi cum brutis commune est, & ea tantum, quae ante pedes sunt, cernere vales? Plerumque, qui oculos longè lateque in fines terræ mittunt, mentem amittunt. Praestat ergo corpore, quàm animo esse cæcum. Inter externa corporis bona, nihil homini charius est oculis, & tamen Christus dixit:

Matth. 5. 29.

*Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam.* Fuit inter profanos, qui oculos sibi exculpfit, ut posset philosophari: cur homines altiora sperantes, non patienter ferrent, immò beneficij loco haberent, si cæci esse sinantur, ut possint diuina speculari? immò ne oculis venena hauriant? *Ut vidi, ut perij, ut me malus abstulit error!* inquit ille. *Accidit, ut surgeret David de strato suo post meridiem, & deambulare in solarium domus regia, viditq; mulierem se lauantiem: ex aduerso super solarium suum, erat autem mulier pulchra valde.* Notum est, quid inde euenerit. Mutatus est, quasi Medusam aspexisset. Quàm illi profuisset, si tunc oculis caruisset? Non sine causa lamentatus est ille: *Oculus meus depraedatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meae.* Quis agrè fert, si ab eo praedones amoueantur?

Virgil. Eclog.  
8.

2. Reg. 17. 2.

Thren. 3. 51.

## III.

Tempore pestis, corrupto aëre, libenter & diligenter claudimus

dimus fenestras ædium nostrarum, ne quid infectionis admittatur. Ascendit mors per fenestras nostras, per aures, & præcipuè per oculos nostros: si ergo DEVS eas nobis fenestras claudit, ne fascinemur, aut ne prædo Sygius intret, cur ei gratias non agamus, cum sancti id legantur spontè amplexi, immò optauisse? B. Aubertus septimus à S. Vedasto Atrebatensis Episcopus, mirifica quadam visione admonitus, vt sacrum B. Vedasti corpus ad locum quemdã alium, non longè ab vrbe situm transferret; protinùs ad facti illius societatem B. Audomarum, Taruennæ Morinorum, ea tempestate, Episcopum inuitauit: qui licet affecta senectute debilior esset, & cæcitate laboraret, prompto tamen alacrique animo eò properauit, & in ipsa sacrarum translatione reliquiarum, amissum lumen Vedasti meritis recepit. Quod tamen ille, præ lumine mentis, quo mirabiliter vigebat, parui pendens iterum, amittere voluit: atque pristinam oculorum cæcitatem precibus à Deo impetrauit. Nimirum illud expertus est, quod Paulus in se agnouit, dicens: *Cùm infirmus, tunc potens sum*, cùm nihil video, multùm video. Non video cæcus vanitatem, video veritatem. Mens enim, qua veritas videtur, oculis non indiget; sed tantò acutiùs diuina arcana penetrat, quantò minùs de terrenis intuetur. Mira sunt, quæ de ingenio, perspicacitate, & prudentia cæcorum alibi à nobis sunt memorata, hîc sufficiat illud de Appio cæco dictum:

*Multum animo vidit, lumine captus erat.*

Neque sanè cæcitas sola corporis animum illuminat, verùm etiam omnes reliqui morbi & calamitates homini ostendunt, quis sit. Superbiam igitur dedocent, docent humilitatem. Iouis se filium credebat Alexander, & propemodum se ipsum in Deorum numerum retulisset. Sauciatus est; sanguis illi de plaga missus est; &

*Sanior ex ipso vulnere factus erat.*

Multi ob fortunæ fauorem, & res domi bellinè feliciter gestas, sibi nimio opere placent, & si non Deos, saltem semideos se se esse arbitrantur; ast vbi in morbos incidunt, tum languor, & dolor, & humanæ miserix ostendunt, eos esse homines, & suam illis ob oculos ponunt fragilitatem. Cuius & Alexandrum Iouis

OO

prolem

Jerem. 9: 22

Aleuin. in vita S. Vedasti apud Sur. 6. Februar.

2. Cor. 12: 10

Cùm de monstris ageremus, tom. 3.

IV.

Ælian. lib. 2